

CAPVT IV.

De Umbra fluuiatili.

TAB. XXVI.

5.

*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 15.*

Umbræ fluuiatilis Aufonius ex veteribus in Mosella sua meminit, Gesnerus pro eadem cum Trutta fluuiatili, quod ista in Mosella, inprimis ubi se in Rhenum exonerat, abundet, accepit. *Rondeletius ita descripsit.* Piscis est non solum nomine, sed et colore marinis (Umbris) similis, a quo utrique nomen. Corpus enim est opaci loci modo subfuscum et subobscurum, cubitalem magnitudinem non excedens. Galli Narbonenses, demptis Monspelienfibus, Umbram vocant. Piscis est ex Truttarum genere, Carpioni Italico corporis aspectu affinis. Pinnis et earum situ a Trutta non differt. Duas itaque ad branchias habet, duas in ventre, ab ano unicam, in medio dorso priorem maiorem, posteriorem minorem, subrotundam, et pinguem, squammas parvas, et maculosas similiter habet. Carnis substantiam, partesque internas omnes easdem. *Capite vero a Truttis differt*, quo Carpioni (Italico, Gesnerus) similis est: capite enim longiore est, quam Trutta, ore minore nec tam hiantem, rostro non acuto, sed obtuso, maxime in maxilla inferiore, sine dentibus, et sine magna maxillarum asperitate. *Oculis* est patulis,

cornea tunica aurea, pupilla nigra. Corpus a medio sensim gracilescit, in caudam latiusculam, et pinnam bifidam, latissimam deficit. A branchiis ad caudam linea recta (hanc in pictura non expressit) per medium corpus producta est. *Branchiae* intus sunt quaternae; *Ventriculus* longus et spissus pinguitudine quae lacte candidior est, obductus, a quo multae apophyses pendent. *Hepar* rubet, cui alligata est fellis vesica, *fel* nigerimum est, *splen* longus et niger. *Intestina* sine gyris ullis ad anum demissa sunt. *Vescitur* terra, aqua, limo, unaque cum his, et cum arena auri laminulas haurit; ob id vulgus auro nutrirum Umbram credit: et revera in ventriculo et intestinis aurum reperiri certissimum est. Carne est sicca et alba, qualis est Truttarum parvarum caro. Hyeme latet: aestate cum Truttis capitur: cui cum in succo et substantia, permultisque aliis similis est, Truttarum generi et tractationi subiecimus. Pura aqua maxime delectatur. *Haec Rondeletius*, nulla coloris facta mentione, quem Bellonius non tacuit: totum hunc piscem sub ventre argenteum esse scribens, dorsum vero terfissimum habere ex livido opacum.

CAPVT V.

De Barbo.

TAB. XXVI.

6.

*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 16.*

Barbi quoque solus inter veteres Aufonius meminit. Nomen ei Cutacei illi Cirri quae barbae quodammodo similitudine ex utroque huius piscis labro dependent, fecere. Bellonius haud incongruo vocabulo *Mystum* vocat, et Graecorum vulgo *Mystracatum* vocari scribit. Sunt qui cum Mullis, marinis piscibus, qui et ipsi barbati, confundunt. Corporis figura Mugiles fere refert, aut Squalos, nam si latitudinem spectemus, oblongiusculus est rotundus, in latera modice compressus. *Differt a Mugilibus*, quod pinna, quae in medio dorfi, firmiori aculeo innixa est: pinnae ventris magis sunt flavae; caudae pinna rubescit: Rostro item est longiore et acu-

tiore, cartilagineo et pingui. *A Squalo* etiam perspicuis quibusdam notis differt. Nam cum in extremo rostro Squalo sit os, infra rostrum in inferiore parte illud Barbus habet; unde et superior ejus maxilla paululum prominet: Labra item longe crassiora sunt quam Squalo, caputque compressius. Postremo e superioris rostri extremo duae appendices, ex lateribus duae aliae propendent: quibus et Squalus et Mugiles carent. Est autem appendiculum earum substantia cutacea quidem, sed mollis, lubrica, teres, subrubra. *Venter* est colore lacteo, latera argenteo. *Dorsum* ex albo flavescit, nigrisque quibusdam ac parvis maculis conspergitur. *Branchias*